

tes globi in adversos montes ejaculati , terrificum strepitum edidere . Columna neque maris tempestate , neque cæli inclem-
tia territus , Francisci Troni triremem conscendit ; nec
dum mitescentibus fluctibus , Epidaurum veterem devehitur ;
magnoque ventorum impetu reflante , cum neque portum ca-
pere , neque obsistere tempestati posset , quibus anchoræ illi-
gabantur , funibus perruptis , undis abrepta triremis , nautis
nequicquam summo labore , remigio contranitentibus , prope
frumentarias molas in litus impacta diffiliit ; viri tamen , cum
tormentis incolumes evasere . Inde altera consensa triremi ,
post cæli , fluctuum , ignis , marisque injuriæ , Anco-
nam , inde Romam pervenit , a Pio Pontifice summa
honoris significatione exceptus . Iisdem fere casibus Sfortia
Pallavicinus e Creta rediens est actus . Nam Corcyra ad Epi-
dauri scopulum tempestate delatus est . A furente borea duo
ingentia navigia , quæ in euripo detinebantur , impulsa , cate-
nis ferreis , quibus fauces , obstruebantur , magno impetu per-
fractis , in scopuli prærupta saxa impegere ; atque eadem fe-
re ruina , Pallavicini triremem involvere , qui mox Pharum
profectus , ibique gravi morbo correptus , recuperata valetudi-
ne , Venetias rediit . Zannius e Corcyra per literas a Senatu
petiit , ut si quid ei de hyemanda classe libuisset , signifi-
cat ; ac propterea , quod infirma valetudine uteretur , subro-
gari sibi imperatorem flagitavit . In Corcyra , aut Creta , do-
nec illi publica mandata perferrentur , Senatus commorari
jussit .

Improsperis rerum hujus anni successibus perculsa civitas ,
haud parum commovebatur : ingentem mortalium numerum
in classe extinctum ; strenuos , ac fortis milites , ducesque a-
missos ; Leucosiam , nullis immissis subsidiis , captam ; nihil
præclare gestum ; immensam auri vim inani conatu profusam .
Inde complurium concitati animi , præfectos traducere , Sfor-
tiam , Zannium , legatos , ac reliquos insigniores duces crimi-
nari , cæli injuriæ , pestiferæ luis causas in eosdem congrega-
re , atque ex eventu suscepta consilia metiri . Ex quo tandem
eo deventum est , ut Zannius imperator Venetias vocatus ,
inter reos referretur ; novi classis legati crearentur ; militum
quibusdam præfectis alii sufficerentur . Sebastiano Venerio
clas-

M. Anto-
nius Colu-
mnus Roma
a Pontifice
exceptus .

Venetis cives
in belli du-
ces concita-
ti .
Zannius in
jus voca-
tur .
Sebastianus
Venerius
classis impe-
rator .